

aliis collegiatis, ad chorum convenire, et in suis ecclesiis idem officium recitare omnino debeant. Equidem *can. ult. distinct. 92*, apertissime decernitur, sacerdotem, diaconum aliosque clericos alicui ecclesie adscriptos, si in civitate versantur, aut quocumque loco, ubi ipsa ecclesia posita est, ea lege teneri, ut quotidie divinum officium in illa celebrent; si quis autem hæc jussa facere neglexerit et monitus ab Episcopo, non paruerit, deponendus judicatur. Porro dubitandum non est, quin hæc lex cathedrales et collegiatis ecclesias comprehendat, uti colligitur ex *Clementina prima de celebratione Missarum*, ubi hæc traduntur: *In cathedralibus aut collegiatis ecclesiis.* »

Neminem latet, canonicos omnes onere adstringi, ut quotidie choro intersint, quin ullum extet certum vacationum tempus, ex canonum jure præfinitum (1). Sacrosancta quidem Synodus Tridentina, ad doctrinam legis constabiliendam, et corruptelas exterminandas, intra tres menses vacationem toleravit, longiorem proscripsit, ac legem generalem in sessione 24, cap. 12 de reform. edixit, salvis ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt. Apertum autem est, quod Concilium in hoc decreto expresse non permittat vacationes, sed longiores quam trium mensium interdicit, et breviores, quæ ex statuto ecclesie obtinent, servandas decernat: nam Tridentini Patres id decernentes, non processerunt concedendo, sed prohibendo ne ultra tres menses quolibet anno abesse liceat (2). Ita similiter censet Benedictus XIV (3) dicens « haud impertiri canonicis trium mensium vacationem, sed tantum constitui, ne vacationes ejusmodi spatium trium mensium superarent. » Nequaquam Concilium decrevit, unicuique canonico coram Deo licitum ac liberum esse, toto tempore intra litem trium mensium comprehenso a divinis se absentare, sed cujusque conscientie considerandum reliquit, num justam ad id causam habeat. Sicuti dum Episcopis unius trimestris absentiam indulget, ipsorum conscientie, quam sperabat religiosam et timoratam fore, attendendum reliquit, ut non aliter quam *id æqua ex causa fiat* (4).

(1) S. C. C. 24 Nov. 1832, in *Florentina, Vacationem § Hisce*, apud Pallottini *Canonici* § IX, n. 1, Fagnanus in I, p. III Decretal. De cleric. non resid. c. *Ad audientiam*, n. 14.

(2) Pallottini loco cit. n. 3 et 4.

(3) Instit. 107, § XVI.

(4) Sess. 23, cap. 1 de reform.

II. Hinc sequitur canonicos muneri suo integre non satisfacere, si officio divino semel in dies intersint. Licet enim talis frequentatio canonicis hodie in plerisque locis sufficiat ad hoc, ut præbendarum suarum fructus integre percipiant; certum tamen est illam nequaquam ad hoc sufficere, ut suam coram Deo et Ecclesia obligationem integre exolvant (1).

Sequitur similiter, illos decipi, qui sufficienter se interfuisse autumant, dummodo interfuerint uni notabili officii parti v. g. si matutino absoluto egrediantur, laudibus neglectis; si cantata missa discedant, prætermis minoribus horis, quæ ante et post eam dicuntur; si post vespervas abeant, relicto completorio. Sicut enim jam probatum est, canonicos ad integrum officium divinum in choro persolvendum adstringi; sic etiam probatum est, eosdem ad singulas, tam minores quam majores, horas obligari (2).

III. Ut canonici igitur absentes excusentur, justa semper causa requiritur. Ad absentiam brevis temporis gravis certe causa non exigitur, nisi absentia forte causa foret, cur officium in choro ommitteretur. Ad quamcumque tamen absentiam, etiam ab una hora, honesta ratio sufficere potest, sed etiam requiritur, ut excusare valeat. Cæterum quanto absentia brevior ac rarior est, tanto etiam minoris momenti causa ad aliquem coram Deo excusandum sufficit. Quanto autem absentia est frequentior et diuturnior, tanto quoque causa excusans gravior sit, oportet (3).

§ 4. De causis excusantibus a dicendo integro officio divino in choro.

Prænotandum est, hic tantum agi de causis excusantibus canonicos a continua frequentatione aliquarum horarum, vel etiam ab omissione officii vel partis ejus in choro; non vero de causis excusantibus a frequentando aliquando officio, de quibus dictum jam est § præcedente, neque de causis quæ excusant pœnitentiarium, theologum aliosque particulares canonicos, de quibus propriis locis agitur, et de quibus præcipue agitur ubi de distributionibus.

I. Indultum seu beneplacitum Apostolicum solum excusat, non

(1) W. Wildt, *Officium sive obligatio canonici*, cap. VII, § 6.

(2) W. Wildt ibidem.

(3) Vid. S. Alph. de Ligorio theol. mor. lib. 3, n. 675, dub. 1.

autem dispensatio Episcopi, neque statuta capitularia, neque functio pontificalis aut extraordinaria, neque paucitas canonicorum, redituum immunitio, aut viæ incommodæ, neque consuetudo.

II. Episcopi permissio aut dispensatio omittendi officium vel ejus partem, vel chori reductio, sine beneplacito Apostolico, nullius est valoris (1) : ratio est, quia Episcopus ordinaria sua facultate nihil potest quoad universalem Ecclesiæ disciplinam.

Hoc constat 1° ex sequente rescripto S. R. C. *Civitatis Plebis* 16 Martii 1833 : « Apud capitulum cathedrale Civitatis Plebis pluribus abhinc annis usus invaluit omittendi recitationem horarum canonicarum, Sextæ nimirum, et Nonæ voce choralis post Missam conventualem, easque recitandi submissa voce tempore ejusdem Missæ varias ob causas : nimirum 1, quando Episcopus Pontificaliter celebrat, vel in Sede Pontificali Missæ solemniter assistit; 2, quando protrahitur servitium chori ob prolixiorum Missam, sive ob extraordinariam aliquam functionem; 3, temporibus Adventus et Quadragesimæ ratione concionis. Quæritur ergo 1. An hujusmodi usus valeat continuari, et quatenus negative, quæritur 2, An valeat continuari de licentia Archidiaconi, seu, illo absente, de licentia antiquioris canonici Præfecti chori; et quatenus negative, quæritur 3, An saltem valeat continuari de licentia Episcopi? Sacra Rituum Congregatio, omnibus mature perpensis accurateque consideratis, rescribendum censuit : *Negative in omnibus, nec satisfieri chori obligationi per privatam recensitam recitationem Sextæ et Nonæ tempore Missæ conventualis.* »

2° Constat ex sequentibus decretis Sacræ Congregationis Concilii : In *Lauretana, Dispensat.* 23 Apr. 1855 : « Capitulum Lauretanum in pacifica et immemorabili possessione versabatur sese dispensandi a recitatione completorii, nec non Sextæ ac Nonæ, cum solemnia Pontificalia occurrerent, eademque veniam implorandi ab Episcopo vel vicario generali, cum extraordinarias functiones fieri contigisset. Anceps Episcopus, an hujusmodi ratio abnormis esset, necne, sacri Ordinis oraculum percontatus est, eique datum fuit responsum : *Abusum, de quo agitur, non esse tolerandum.* Cum tamen hæc res iterum novis, iisdemque amplioribus firmata momentis, die 17 Dec. seq. per sum. pr. proposita

(1) S. C. C. *Hortana*, servitii chori 2 Junii 1860, in *Analectis juris Pontif.* 1861, sér. 5, fol. 473, XX.

fuisset, et insuper petitio saltem ex gratia addita fuisset, responsum prodiit : *In decisio et ad mentem : mens est : Consulendum SSmo, ut facultates impertiatur Episcopo dispensandi in singulis casibus necessitatis, onerata ejus conscientia.* In *Grossetana* « Capitulum Grossetanum ante Concilium Tridentinum jam habebat in more positum, ne totum quotidie divinum officium absolveret. Post Concilium Tridentinum identidem Episcopi suis decretis accuratam Tridentinæ sanctionis observantiam inculcaverunt, licet incassum. Anno denique 1669, illius temporis Episcopus suo decreto permittere putaverat, ut quotidie diebus ferialibus matutinum et laudes omitterentur, eaque ratione canonici usi erant ad hæc usque tempora. Cum tamen in expendenda relatione status ecclesiæ Grossetanæ S. Congregatio hunc defectum cognovisset, et sacros canones observandos esse suis litteris significasset, canonici assecuti sunt, ut res ad plena S. Congregationis comitia referretur. Itaque die 20 Nov. 1841, dubium propositum fuit : *An et quomodo approbandum sit chorale servitium, quod præstat Grossetanum Capitulum in casu! S. Cong. respondit : Dilata, et exquirantur exempla, et reassumantur relationes SS. AA. LL. de statu ecclesiæ Grossetanæ.* Aliquibus annis quæstio siluit; at vero in hanc rem efficacius instante S. Congregatione in litteris, quibus ad triennales relationes rescribatur, denique iterum, audito capitulo, dubium ipsum propositum fuit die 22 Nov. 1856. At S. Cong. respondit : *Nihil pro nunc innovetur : sed Episcopus curet, ut, quamprimum fieri possit, generalis ecclesiæ disciplina super integra recitatione divini officii servetur* » (1). Ita ut Episcopale decretum huic capitulo Grossetano nihil suffragatum fuerit, etiamsi duorum fere sæculorum observantia eidem accessisset. *S. Hippolyti Servitii chori et Missæ conventualis* 23 Januarii 1864 : In cathedrali ecclesia S. Hippolyti in Austria inferiori officium divinum non nisi ex parte quotidie persolvebatur. Episcopus anno 1785 onus chorale ita redegerat, ut tertiæ, vespere et completorium decantarentur, exceptis vigiliis pro defunctis cum requiem, in quibus prima et tertia prætermitti valeret; in feriis vero etiam prima recitaretur, matutinum vero in Nativitatis pervigilio, in hebdomada majori, et infra octavam Corporis Christi psalleretur. At Episcopus successor anno 1801 constituerat, ut recitanda simpliciter forent completorium quotidie

(1) Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 1, fol. 303 et 304.

excepta quadragesima, in officiis vero ferialibus, semiduplicibus et simplicibus etiam tertia et vespere, ac tandem in officio kleseliano laudes, servata consuetudine in diebus festis. Proposito autem dubio : An canonici cathedralis ecclesie S. Hippolyti teneantur quotidie integras horas canonicas in choro persolvere, missamque conventualem pro benefactoribus applicare in casu? S. Congregatio respondit : *Affirmative in omnibus* die 23 Januarii 1864 (1).

III. Non excusant statuta capitularia, prescribentia aut permittentia, ut aliquod officium omittatur, ut liquet ex *Cavallicen. Residentie seu distributionum* 24 Mart. 1703, dub. 1 : " Quum canonici ecclesie cathedralis preterderent, singulis horis juxta Episcopi decretum interesse minime debere, sed ipsius ecclesie statuta super interventu, ac distributionibus servare; S. Congregatio eadem statuta servanda non esse duxit " (2).

Hoc intelligendum est, etiamsi statuta capitularia ab Episcopo debite approbata fuerint : sicut enim Episcopus permittere nequit, ut officium pretermittatur, ut jam dictum est, sic nec similia statuta, quae id permittunt, approbare potest.

IV. Non excusant missa aut assistentia Pontificalis, neque officium prolixum, concio aut aliqua functio extraordinaria, ut patet ex decreto S. R. C. 16 Mart. 1833, *Civitatis Plebis*, supra allato.

V. Non excusant aeris inclementia, paucitas canonicorum, redituum imminutio, difficilis ad ecclesiam accessus, viae incommodae similesque causae, ut constat ex decretis S. C. C. in *Grossetana, servitii chori*, die 20 Nov. 1841 et 22 Nov. 1856; in *Januensi, servitii chori et Missae pro populo* 19 Ap. 1834; in *Mazzarien*, 30 Nov. 1824, § *Profecto* (3). Hae similesque causae quidem allegantur et valent ad obtinendam chori servitii reductionem a Sede Apostolica, per se autem sine indulto Apostolico non sufficiunt, ad aliquam divini officii partem in choro licite omittendam.

VI. Non excusat consuetudo : certum enim est, si dispositioni juris canonici et Concilii Tridentini attendatur, canonicos ecclesie cathedralis singulis diebus ad integram divini officii recitationem

(1) *Analecta juris Pontif.* 1866, ser. 8, fol. 1625-1630; Lucidi ibidem fol. 299, n. 110.

(2) *Zamboni Canonici*, § X, n. 27.

(3) *Apud Pallottini Canonici*, § VII, n. 357, 378, 557, etc.

in choro teneri, minime obstante contraria consuetudine : ita ut si agatur de pretermittenda aliqua officii parte, secluso indulto Apostolico, quaelibet consuetudo, licet immemorabilis, haud suffragetur, eaque potius abusus et corruptela, utpote dispositioni juris et generali Ecclesie consuetudini contraria dici debeat, sicut S. Congregatio constanter censuit, et unanimiter tenent doctores. Si aliqui contrarium dicere videantur, animadvertendum est, hos ita sentire, quatenus consuetudo supponit et praesumit datum fuisse privilegium Apostolicum; quamvis alii hoc etiam non admittant, et censeant, legitimum et vigens requiri indultum Apostolicum, nec sufficere illud quomodocumque praesumptum (1). Si vero consuetudo sumatur in sensu prescriptivo, omnes eam improbant tanquam contrariam Concilio Tridentino universalique Ecclesie consuetudini. Licet igitur adsit consuetudo plus quam centenaria, de cujus constat origine, v. g. ex licentia data ab Episcopo, haec ipsa nulla dicenda est, utpote orta ex principio vitioso; atque excludit omnem praesumptionem beneplaciti Apostolici, quia, cum de vero eoque vitioso titulo constet, praesumptio omnis evanescit, praesumptio enim cedere debet veritati (2).

VII. Nulla igitur causa aut ratio ab integra et quotidiana officii divini recitatione in ecclesia cathedrali excusat, praeter beneplacitum Apostolicum. Omnes aliae causae et rationes sunt motiva ad dispensationem impetrandam, per se autem, secluso indulto Apostolico, non excusant. Sola Sedes Apostolica in hac generali Ecclesie disciplina dispensare potest.

Notandum tamen est, hoc intelligendum esse, abstrahendo a causis majoribus, uti incendii, terrae motus, persecutionis, etc. quibus omnes cedunt leges ecclesiasticae.

VIII. Sedes Apostolica, justa data causa, in variis casibus et peculiaribus circumstantiis saepe dispensavit. Aliquando vacationem duorum aut trium mensium concessit canonicis, qui caeteroquin quotidie, nullo excepto anni tempore, ad chorum tenebantur : aliquando attendita redituum tenuitate, vel locorum difficultate, vel aeris inclementia, et remanente sufficiente canonicorum numero, chori servitium ad turnum per mediariam vel ternariam vel

(1) *Acta S. Sedis*, vol. VIII, fol. 331 et seqq.

(2) Ita *Pallottini Canonici*, § VII, n. 348, 351, 353, 360, 361. Vid. *Bened. XIV*, *Iustit.* 107; *Scarfantonus lib. 2*, tit. VIII, animadv. 17 et seq. *Lucidi de Visit. SS. Lim.* vol. 1, fol. 298, art. 1; *Wildt, Officium sive obligatio canonici*, cap. VII, § 6, error. 1; *De Angelis*, lib. III, tit. 41, n. 8.

quartariam redegit, ordinarie tamen cum clausulis, ut omnes choro interesse tenerentur tempore adventus et quadragesimæ, diebus festis, infra octavas privilegiatas, etc. : alias chori servitium etiam reduxit ad solos dies festos, exceptis adventus et quadragesimæ temporibus, nec non solemnioribus quibusdam diebus (1). Cum de capitulis magno canonicorum numero constantibus actum est, in quibus vel proventus essent admodum tenues, vel servitium chori assiduum et quotidianum, ob aeris inclementiam, vel ob ecclesiæ distantiam a centro urbis, in qua canonici et beneficiati domicilium habent; permissum potius fuit, ut alternatim chorum frequentarent, eorum scilicet media pars per unam hebdomadam, reliqua vero per alteram; ita tamen ut tempore adventus et quadragesimæ, ac in omnibus diebus festis de præcepto, nec non per totam octavam solemnitatis Corporis Christi, aliisque diebus, quibus id convenire Episcopi iudicio visum fuerit, omnes ad chorum officia divina celebraturi accedant (2). Cum contra actum fuit de capitulis in Gallia aliisque regionibus, in quibus hoc tempore parvus est numerus canonicorum, quique præterea multa alia munia obeunt, sæpius dispensatum fuit, ut canonici non tenerentur nisi partem officii in choro explere, aut non nisi diebus dominicis et festivis (3).

§ 5. *An in Gallia, Belgio aliisque locis, ad quæ spectat concordatum 1801, canonici cathedralium tenentur ad integrum officium?*

Prænotandum est, plura et fere omnia capitula horum locorum integrum officium non recitare; pluresque Episcopos in condendis confirmandisque statutis capitularibus ex decretis Cardinalis Capraræ, permisisse, ut canonici cunctas divini officii horas impune non persolverent. Qua venia confisi canonici nulla Apostolica venia sese indigere putabant, ut in hac agendi ratione licite prosequi possent.

Ad discernendum an Cardinalis Caprara talem facultatem Episcopis concesserit, afferenda et bene perpendenda sunt ejusdem Cardinalis decreta, quæ hanc materiam concernunt.

(1) Vid. *Analecta juris Pontif.* 1866, sér. 8, fol. 1629.

(2) Ita Benedictus XIV, de Syn. lib. 13, c. 9, n. 13.

(3) Bouix de capitulis p. 3, c. 2, § IV, n. 4.

1° Decretum quo Bulla novæ circumscriptionis diocesium Galliae publicatur *Cum Sanctissimus Dominus* 9 Ap. 1802, in quo habentur : « Inter cætera quæ Nobis a Sanctissimo Domino Nostro in sæpe laudatis litteris Apostolicis mandata sunt, alterum illud est, ut suppressis jam a Sanctitate sua antiquis omnibus Gallicani territorii capitulis, nova in singulis Metropolitanis et Cathedralibus Ecclesiis, qua ratione fieri poterit, constituentur. Quod cum ita nobis commissum sit, ut facultas quoque has partes subdelegandi per memoratas litteras Apostolicas Nobis ipsis tributa fuerit : ideo hujus facultatis vigore Archiepiscopis et Episcopis Galliarum primofuturis facultatem concedimus, ut postquam canonice instituti ecclesiarum suarum regimen actu consecuti erunt, capitulum in Metropolitanis et cathedralibus respective ecclesiis suis erigere ipsi possint juxta formam a Sacris Canonibus, Conciliisque præscriptam, et ab Ecclesia hucusque servatam, cum eo Dignitatum et Canonicorum numero, quem ad earundem Metropolitanarum et cathedralium Ecclesiarum utilitatem et honorem, attentis rerum circumstantiis, expedire judicabunt. »

« Eisdem autem Archiepiscopos et Episcopos enixe adhortamur, ut quanto citius fieri poterit, supradicta facultate, ad suarum diocesium utilitatem, Ecclesiarum tam Metropolitanarum quam Cathedralium honorem, religionis decus, ac administrationis suæ levamen utantur, memores eorum quæ ab Ecclesia circa capitulorum erectionem et utilitatem sancita sunt; quod quidem eo facilius ab ipsis peragi posse confidimus, quod in ipsa supra memorata conventionem inter Sanctitatem Suam et Gallicanum Gubernium Parisiis feliciter inita statutum sit, singulos Archiepiscopos et Episcopos Gallicani territorii unum in ecclesia Metropolitana et cathedrali capitulum habere posse. »

« Ut vero in iisdem Metropolitanis et cathedralibus ecclesiis in iis, quæ ad capitula, ut supra erigenda spectant, ecclesiastica disciplina servetur, iisdem Archiepiscopis et Episcopis primofuturis curæ erit, ut quæ pertinent ad eorundem capitulorum sic erigendorum prosperum et felicem statum, regimen, gubernium, directionem, divinorum officiorum celebrationem, cæremonias ac ritus in iisdem ecclesiis eorumque choro servandos, ac alia quælibet per eorundem capitulorum Dignitates et canonicos obeunda munia, pro eorundem Archiepiscoporum et Episcoporum arbitrio et prudentia definiantur et constituentur, relicta tamen eorum successoribus statutorum illorum immutandorum facultate, requisito prius